



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni  
Præsertim Augustini, Et Thomæ Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones  
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis  
Fundamentaliter discussa

De Externis Regulis Amoris Et Morum, Legibus Utique, ac Præceptis  
Virtutum Theologicarum, & Cardinalium, necnon Decalogi & Ecclesiae -  
Libros Vndecim Complectens

**Henricus, de Sancto Ignatio**

**Leodii, 1709**

Caput XXI. Obligationes mutuatoris & mutuatarii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73203)



to non firmatis, jure canonico concedi actionem. 3<sup>o</sup>. in nudis pactis, ubi ex utraque parte conditionibus est satisfactum, nec jure civili, nec canonico concedi facultatem resiliendi. 4<sup>o</sup>. quando neutra ex parte satisfactum est, sed res adhuc integra, jure civili esse locum resiliendi, non jure canonico. 5<sup>o</sup>. quando unus satisfecit, alter non, eum qui satisfecit, tam jure civili, quam canonico, resiliere posse, dummodo is qui non satisfecit, sit in mora & voluntate non satisfaciendi.

223 Esse tamen aliquos contractus nudos, defectu requisitarum solemnitatium, ita irritos & nullos, ut nullam pariant obligationem naturalem in foro conscientiae, patet in matrimonio clandestino, in contractu simoniaco, & aliis multis. Neque enim in solo foro externo invalidi sunt, sed & in interno. Quomodo etiam Canonici non residentes, fructus non faciunt suos, etiam in foro conscientiae.

## CAPUT XIX.

*Transitus à contractibus in genere ad solemniores ejus species.*

224 Quia materias ingredior gravissimas, difficillimasque, cum S. Thoma in proemio opusculi de usuris, *invoco Sapientiam, ne me errare permittat, in periculum animae meae, & in laqueum aliorum.* Sunt enim materiae illae periculosae ac difficiles, propter duo. 1<sup>o</sup>. quia, ut idem S. Doctor ibidem ait, *in moralibus, & praecipue in illa parte justitiae, quae dicitur commutativa, periculosum est diversa sentire, & opinari.* 2<sup>o</sup>. quia haec est Confessoriorum omnium gravissima difficultas, dum agitur de internoscenda usura, quae tot modis palliata est, ut eorum qui magis sunt oculati & perspicaces, oculos ferè subterfugiat, inquit Ludovicus Bail in exam. poenit. p. 2. q. 33.

## CAPUT XX.

*Definitio, & divisio mutui.*

225 Mutuum definitur, *contractus, quo rei, numero, pondere, vel mensurâ constantis, dominium traditur accipienti, cum obligatione postmodum reddendi similem in specie, & bonitate.*

226 Dicitur 1<sup>o</sup>. *rei numero, pondere & mensurâ constantis*; non verò (ut aliqui) rei ipso usu consumptibilis, sive cujus principalis usus est consumptio. Tamen enim communissima mutui materia sit res ipso usu consumptibilis; mutuum tamen, secundum jura, in solis ejusmodi rebus non habet locum, sed generaliter in omni re, quae constat numero, ut pecunia; pondere, ut massa auri, vasaeque aurea & argentea; & mensurâ, ut vinum, triticum, &c. constatque ex illustribus, quibus modis contrahatur obligatio, & L. 1. ff. si certum petatur, massam auri & ar-

*Tom. II.*

genti materiam esse mutui, licet usus principalis valorum auri & argenti non sit ipsa eorum consumptio, inquit S. Thomas 2. 2. q. 38. a. 1. ad 6.

Dicitur 2<sup>o</sup>. *dominium traditur accipienti.* 227 Quia mutuum traditione perficitur, quâ mutuatæ rei à mutuante dominium in mutuatarium transfertur. Nam qui tibi mutuum dat, quod suum est, tuum facit. §. *item his* Instit. quibus modis refert. Et L. *incendium* C. si certum petatur. Unde mutuum appellatum est, quia ita à me datur, ut *ex meo iure* fiat. §. 1. Instit. eod. Ac per hoc mutuum differt à commodato, quo rei commodatæ dominium non transfertur, sed solus usus conceditur.

Dicitur 3<sup>o</sup>. *cum obligatione postmodum restituendi*, tempore utique ad mutuum moraliter necessario, spectato fine, aliisque circumstantiis mutui, nisi certum tempus praefixum fuerit.

Dicitur 4<sup>o</sup>. *similem in specie & bonitate.* 229 hoc est enim quod Justinianus ait lib. Instit. tit. 15. *res quas mutuamus, in hoc damus, ut accipientium fiant: & quoniam nobis non eadem res, sed alia ejusdem naturae, & qualitatis redduntur.* Mutuatarius itaque non tenetur eandem numero rem restituere, prout commodatarius, & depositarius (cum mutuam rem possit consumere) sed eandem in specie ac bonitate, ita ut non sufficiat pretium rei reddere, sive rem alterius speciei, licet in bonitate aequivalentem (aliâ foret venditio, vel alius contractus) sed reddere oportet rem prorsus similem in specie, & bonitate. Et hoc est quod dicitur L. 3. ff. de reb. credend. *Mutuum eadem bonitate quâ datum est, eodemque genere reddi debet.* Istud etiam est, quod Jurisconsulti volunt, cum aiunt, in commodato reddendam eandem rem in specie, in mutuo eandem in genere. Neque enim genus & speciem logicaliter accipiunt, sed legaliter, speciem pro individuo, genus pro specie.

## CAPUT XXI.

*Obligaciones mutuatoris & mutuatarii.*

EX allata definitione varia colliguntur, 230 quòd utique mutuatarius teneatur 1<sup>o</sup>. rem mutuam in eadem specie, quantitate, & qualitate, suo tempore reddere. 2<sup>o</sup>. si fuerit in mora, tenetur de damno, & lucro cessante. 3<sup>o</sup>. tenetur de casu fortuito rei mutuatae, ita ut si res mutuo accepta quomodocumque pereat, mutuatario, non mutuatori pereat. Et ideo mutuatarius, non obstante quâcumque jacturâ, & quâcumque mutatione rei mutuatae, etiam citra culpam suam contingente, similem in eadem specie ac bonitate restituere tenetur. L. *incendium* C. si certum petatur.

Mutuator verò pro parte sua tenetur 1<sup>o</sup>. 231

Aaa 2



monere mutuatarium de vitio rei, aliàs tenetur de damno.

2°. mutuum non repetere statim, sed præfixo dumtaxat tempore, vel post certum tempus, ut supra, nisi ipse constituitur in pari necessitate.

3°. non plus exigere, siue in valore, siue in aliquo gravamine, quam valeat ipsa res mutuata. Aliàs erit usurarius. Mutuum namque contrahitur in gratiam solius accipientis, idèque est contractus ex natura sua gratuitus, juxta illud Luc. 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes.*

232 Colligitur insuper, eum qui vinum vetus mutuo accepit, non satisfacere reddendo novum, prout habetur L. 3. supra citata. Quia licet sit ejusdem speciei, non est ejusdem bonitatis.

233 An autem restituenda sit eadem, seu similis in specie ac bonitate physica, an morali: Distinguendum est, & dicendum, quod (seclusa speciali conventionione) in iis rebus, in quibus per se spectatur & intenditur physica entitas rei, restituenda sit in eadem specie physica, ut vinum pro vino, triticum pro tritico. In pecunia verò, in qua per se non spectatur physica entitas monetæ, sed valor moralis, seu extrinsecus (prout habetur L. 1. ff. de contrah. empt.) debet quidem reddi pecunia pro pecunia, sed non necessarîo eadem in specie physica, v. g. aurea pro aurea, patacones pro pataconibus, sed eadem in valore quem habuit tempore mutui, ita ut si mutuo acceperis centum florenos v. g. in pistollis, satisfacias reddendo centum florenos, siue in pistollis, siue in alia moneta, aurea vel argentea; siue interim valor pistollarum tempore restitutionis auctus fuerit, siue non. Neque enim attendendus est valor, quem moneta habet tempore restitutionis, sed quem habuit tempore mutui. Reddendo quippe valorem quem habuit tempore mutui, tantum reddis, quantum accepisti, uti dicitur L. *rustica polia* ff. de contrah. empt. ubi propterea statuitur hæc regula: *In contractibus ea affirmatio inspicenda est, que fuit tempore contractus.* Simile est quod cap. 20. & 26. de censibus statuitur, pro censuum solutione: *Attendendum ad valorem quem moneta habuit tempore quo census institutus fuit, non quem habet de presenti.*

234 Confirmatur à simili: si enim mutuo accepisti mensuram tritici, tametsi hæc postmodum crescat, vel decrescat in valore, non teneris reddere aliam mensuram, quam accepisti, sed eandem: in pecunia verò sic se habet valor ad valorem, sicut in tritico mensura ad mensuram.

235 Dixi, *seclusa speciali conventionione.* Aliàs namque conventioni standum est, si justa fuerit, & in ea servetur æqualitas, ut si conventum fuerit, eosdem in specie nummos reddendos, siue valor mutetur, siue non, dummodò non fuerit major probabilitas unius, quam alterius.

Dices 1°. Scotus in 4. diff. 15. q. 2. do. 236 cet, eum qui mutuavit mensuram tritici, posse exigere valorem qui fuit tempore mutui, nec mutuatarium satisfacere reddendo mensuram quam accepit, siue triticum in pari bonitate & mensura, casu quo valor decreverit.

Respondeo, recipiendam non esse opinionem illam. 1°. quia contra eam militat communis sensus Doctorum, sicut & communis sensus & usus timoratorum. 2°. militat lex *vinum* ff. de reb. cred. 3°. militat & ratio: quia reddendo triticum in eadem specie, mensura, & bonitate intrinseca, quæ accepisti, implet totum contractum mutui; in quo non pretium, seu valorem pro tritico (aliàs foret emptio, vel venditio) sed triticum in eadem specie, mensura, & bonitate intrinseca reddere debes, ut scilicet idem (in quantum fieri potest) reddas atque accepisti.

Dices 2°. iniquum videtur, quòd mutuator, qui mutuo dedit decem pistollas valentes 100. florenos, non recipiat nisi 100. Sic enim ex mutuatione damnum reportat.

Respondeo negando antecedens: quia damnum non reportat ex mutuatione, quantum recipit, quantum mutuavit. Estque æquum, ut rei mutuatæ valor illi crescat, cui decresceret, si decresceret, & cui penitus periret, si res mutuata, cum omni valore suo, penitus periret. Decresceret autem & periret mutuatario, utpote domino, cui res unaquæque perit & fructificat. Et quare (obsecro) illius monetæ valor cresceret mutuatario, cui non decresceret, si decresceret? Æquum profectò non est, ut ex valoris augmento commodum sentiat, qui ex ipsius decremento nullum sentiret incommodum. Denique cum mutuum eum in finem institutum sit, ut per illud proximè necessitatibus & commodis tantisper subveniatur, qui valorem acceptum in usus suos protinus convertere solet, æquum non est, ipsum adstringi ad restituendum alium valorem, nisi quem accepit.

## CAPUT XXII.

### Divisiones mutui.

Quoad divisiones mutui, ea sola ad intentum facit, quæ mutuum dividit in formale & virtuale, siue in explicitum & implicitum, seu palliatum. Explicitum est, quo formaliter & expressè quis tradit dominium rei suæ, cum obligatione postmodum reddendi rem ejusdem speciei & bonitatis. Implicitum est mutuum sub aliquo alio contractu, vel legato, vel donatione virtualiter inclusum, sic ut apparentiam habeat contractus venditionis v. g., at reverà includat rationem mutui, sub alterius contractus nomine palliati. Exempla proferemus c. 26.